



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

Amplissimo, Clarissimoqve Viro, Vigilio Zvichemo Alanus Copus S. P. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47925)

AMPLISSIMO, CLARISSIMO  
MO'QUE VIRO, VIGLIO ZVICHEMO

Alanus Copus  
S. P. D.

**S**CIO aliam esse & personam tuam dignitatem, & meritum  
erga me tuorum magnitudinem, quam ut vel ad illam be-  
ne conuenire, vel cum hac paria facere possit, operis istius,  
quatenus quidem in officina nostra tornatum est, dedi-  
catio. Cui an nomen meum apponerem, dubius fortè mētis  
esset, si Ecclesia sacrosancta auctoritas lege, ne id praetermittatur, san-  
cientis me huc non commoueret. Nam tam longè absūm ab omni doctri-  
na vel ingenij laude hinc aucupāda, ut multo magis verear, ne in vocu-  
las hominum non indoctorum fortè, sed minus tamen candidè de aliorū  
laboribus iudicantium, quod in re (ut illis, non nisi sublimia & excelsa  
cogitantibus, videbitur) nimis parua, humili, trita operam posuerim: in  
qua si quid diligentia & iudicij, nihil certè ingenij aut eruditionis  
ostenditur.

De quo ut non operae pretium esse duco contendere, nec illis suam  
verborum pompam, & magnificum rerum apparatus (si, quem praesefer-  
rūt, habent) inuidere: ita equum fore existimo, ut ipsi quoque nobis per-  
mittant, in humilioribus (que madmodum ipsis appellare lubet) studijs,  
modo utilibus & honestis, nostro arbitratu versari. Quamuis enim illi  
aquilarum instar in sublime volitantium non capiant muscas, & altitu-  
dine montium delectati, conualles aspernentur: musca tamen interdum  
capiuntur non intempestiuè, & valles abundantes frumento coluntur  
non infructuose.

Ceterum hac sic dicta minimè existimari velim, perinde atque argu-  
mentum huius libri, non sit per se dignissimum, in quo explicando exor-  
tandoque, ut quisque animi celsitate, ingenij viribus, scientia rerum, hono-  
ris prerogatiua, & morum probitate maximè eminet, ita debeat labora-



## EPISTOLA

re & sudare maximè. Nam si persona eius Maiestatem respicias, cuius vita hic describitur: an non ipse Deus est, aternus aeterni Dei Filius, sapientissimus mundi Fabricator & Rector, idemq; benignissimus humani generis instaurator, & Redemptor. Si rerum gestarum magnitudinè, nonne omnia hominum & calitum acta infinitis partibus superant? Si doctrinae excellentiam, quid uniuersae Philosophorum scholae cum hoc comparata aliud videntur, & re ipsa etiam sunt, quam mera propemodùm tenebra & nubes? Eloquentia verò, non illa Rhetorum fucata & calami stris inusta, sed vera & solida hic tanta cernitur, quantam neg. Demosthenes, neg. Cicero, neque si quis alius his forte fuit in arte Oratoria & dicendi exercitatione praestantior, unquam mente concipere, nedum verbis exprimere potuit.

Hec igitur si considerentur, nihil hic est, nisi plusquam humanum, eccleste, & diuinum. At si mea opella in transferendis illis ad maiorem aliqua ex parte studiosorum utilitatem, in quaestionem veniat: ea factum non magni admodum momenti est, sed eiusmodi tamen, ut ab aequis rerum aestimatoribus haud contemnenda, tantum abest, ut vituperanda videatur. Hanc autem visum est duas potissimum ob causas Nomini tuo inscribere, tum ut esset quantumcumque grati erga te animi mei testimonium, tum ut tuo patrocinio fulta, in publicum exiret commendatior.

Nam cum tu sis inter praecipuos istis in locis doctorum hominum fautores & patronos, & ipse quidem longe doctissimus prudētissimusq;: quid poterit in tuo nomine apparere, quod idem non erit studiosis omnibus multò inde gratum & acceptum? Neg. verò me quicquā hinc deterruit vel libelli paruitas, vel dignitatis tuae splendor. Cum enim post paucos dies longè hinc abeundum mihi erit, malui leuidentse hoc munusculum potius, quam nullum, tibi offerre, in perpetuum singularis benevolentia erga me tua, & mea contra in te obseruantia monumentum. Nec tu is es, qui soleas in officij colendi ratione metiri res pondere & magnitudine, sed eius à quo profisciscuntur, facultatibus & animo: aut in referenda gratia spectare, quid meritis tuis debeatur, sed quid prestare valeat, qui referendi habet voluntatem.

Dignitas



DEDICATORIA.

Dignitas verò tua licet maxima & amplissima, eaq; virtute parta: nunquam tamen mihi tanta visa est, ut non maiorem semper expertus fuerim humanitatem tuam. Cui si priores in hac causa detulerim, non est opinor cur quis me reprehensione dignum existimet.

Porro si ratio habeatur etatis tuae ingrauescentis, & multiplicium grauisimarumq; occupationum tuarum, a quibus vix colligendi tui otii tibi relinquitur: Syntaxis haec eatenus personae tuae conuenire, & ex usu tuo esse poterit, quatenus leuamento molestiae & laboris erit, qui in his, quae ab Euangelistis dispersè dicta sunt, colligendis insumeretur.

Sed haec fortasse pluribus quàm necesse sit: quicquid autem est quod praestiterim, id totum tuo permitto iudicio, ut de eo statuas, quemadmodum tibi videbitur. Nunc tempus est ut missum te faciam, quem nimis diu videor à grauioribus reipub. negotijs detinuisse. Sed prius tamè meo, & sacrarum virginum Nisshagiensium nomine, gratias tibi agere debeo, quas ago habeoq; maximas, tum de summa beneuolentia & benignitate erga me tua, tum de immunitate tributi cuiusdam ad subleuandam virginum illarum inopiam amore Christi iam exulantium, tuo fauore & opera multò facilius impetrata.

Quantum igitur in nobis est, quia aliud praestare nihil possumus, salutem & Dignitatem tuam Deo cõmendare non praetermittemus, ardentissimis precibus orantes, ut cuius beneficia non praesenti aetate terminantur, sed ad oëm pertinebunt posteritatē, partim quidem ex libris eruditissimè conscriptis, partim verò, ex Collegio pietati & literis alendis augendisque, consecrato: eum velit ad Reipub. Christiana utilitatem, & bonorum solatium, quàm diutissimè saluum & incolumem conseruare.